



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Prior pars verioris sententiæ. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ligitur: Sed inferimus, Deum in se, & ad se non esse bonum, & perfectum, sicut est sapiens, & infinitus, antequam intelligantur creaturæ possibiles; id quod ablatum etiam existimamus, ut latius patebit ex ijs, quæ dicemus disp. 104. de omnipotentia Dei, & disp. 154. de proprietate doni, quæ Spiritui sancto ex origine sua convenit. Nunc autem hæc breui ratione monstrari potest. Quæ Deum consequuntur eodem necessitatis gradu, quo ipse Deus, & Trinitas est, existunt, & Deo conveniunt: quare sicut magis necessarium est, Deum esse, quam possibiles esse creaturas, ex quo etiam per locum intrinsicum deducitur, Deum alias fore, etiam si creaturæ non essent possibiles: Ita quoque Deus sic necessario est absolute bonus, & perfectus in se, ut si possibiles non essent creaturæ nihilominus bonus, & perfectus esset: Non ergo est bonus, quia creaturis conveniens est, imo vero eo quod in se infinite bonus, & perfectus est, creaturis etiam convenit, & bonus est.

Secundo, aliis rebus hoc modo non convenire bonitatem, quæ est passio entis, sic ostenditur. Nulla est res, quæ non sit absolute, & simpliciter bona, quæ si aliqua malæ dicuntur non absolute, & simpliciter, sed quibusdam malæ dicuntur: sicut venenum animantibus: paucissima vero aut nullæ omnibus alijs conveniunt, & bonæ sunt: Res igitur creatæ non dicuntur bonæ simpliciter ex respectu convenientiæ cum alijs, sed absolute, & secundum se ratione suæ entitatis. Porro qua ratione res quibusdam sunt convenientes, & bonæ, alijs sunt malæ, & aduersæ: Ergo non potius dicendæ sunt bonæ, quam malæ: ac proinde bonum, & ens absolute non reciprocantur, aut non minus ens, & malum, quam ens, & bonum, mutua consequentia inuicem penderent: quod est absurdum; & in errorem Manichæi non parum declinat, qui affirmabat, quasdam esse substantias naturæ suæ malas, ut testatur Augustinus multis in locis, præsertim lib. 2. de moribus Manichæi, a. c. 1. vique ad 8. in quo eleganter ostendit omnem substantiam à Deo creatam in se bonam esse, quare inquit, sicut malum nihil est aliud quam privatio, & non esse substantiæ, quod ipse vocat in convenientiam inimicam substantiæ: & contra naturam; ita etiam quæcunque substantia, eo, quo substantia, est bona, non quia alteri conveniat: quemadmodum non est substantiæ malæ, quia alteri contraria sit.

Tertio, etiam si ratio bonitatis in relatione convenientiæ consisteret, non recte dixisset Durandus in ijs solum intrinsicè reperi quæ inhaerent alicui vel per modum formæ, vel per modum partis: in alijs vero extrinsece. Nam quamvis id quod est alteri conveniens per modum causæ efficientis, non sit primariè, & intrinsicè bonum, sed ratione effectus, ut Sol est bonus frigescenti ratione caloris, quem in ipso producit: Nihilominus aliquid, quod non inhaeret intrinsicè alicui rei, est ipsi bonum, & conveniens non remote ratione effectus, sed proxime ratione sui, obiectum videlicet respectu potentiae, hoc enim esse finem, & bonum proximum potentiae ratione sui, & non ratione effectus contra eundem Durandum probabimus, l. 2. q. 4. artic. 1. tum etiam non omnia, quæ insunt rei, cui dicatur convenire, intrinsicè relatione convenientiæ ad ipsam referuntur: partes enim integrantes aliquod totum, & ipsi contentientes ex sententia Durandi dicuntur ei bonæ,

sed relatione reali convenientiæ ad totum non referuntur, ut patet.

CAPVT III.

Dua alia sententia de eadem re.

Est alia opinio quorundam recentiorum, qui cum Durando conveniunt in eo, quod asserit bonitatem formaliter esse relationem convenientiæ unius rei cum altera: dissentiunt tamen, quod putant, relationem illam in univèrsam esse rationis, & non realem. Hæc tamen sententia duabus prioribus rationibus contra Durandum factis eodem modo impugnari debet. Deinde facile potest ostendi, relationem convenientiæ inter aliqua interdum non minus esse realem, quam relationem dissimilitudinis, & contrarietatis. Verum hæc leuiora sunt, & quæ longiorem non possunt disputationem.

Altera sententia fuit Capreoli in 2. disp. 34. a. 1. conc. 2. & 3. asserentis, bonum formaliter consistere in relatione rationis ad appetitum, quam ipse appellat rationem perfectam alterius: quæ quidem opinio amplectenda non est. Nam si ipse intelligat, bonitatem esse relationem convenientiæ, ex qua sequitur, ut aliquid appetatur: eodem modo, atque sententiæ præcedentes, impugnanda est: Si vero intelligat esse relationem appetibilis, multo minus eius sententia nobis probatur. Etenim, ut optime notavit Caiet. in art. 1. & 4. huius quæst. ratio, aut denominatio appetibilis posterior est ratione boni, sicut ratio visibilis ratione coloris: appetibile enim dicitur extrinsece de nominatione à potentia ipsa appetente, eo quod appeti potest. Quocirca prius est, posse appetere bonum, quam illud esse appetibile. Prius autem quam potentia intelligatur posse appetere, intelligitur bonum in obiecto: Ergo prior est ratio boni, quam appetibilis. Quæ doctrina ex ijs, quæ dicemus disputatione 104. cap. 2. perspicua fiet.

CAPVT IV.

Prior pars verioris sententiæ.

Superest solum sententia Heruæi, quam (licet omnino mihi non probetur) referre, & impugnare ex professione non libet. Obiter enim nostram sententiam exponentes, quæ in ea minus vera sunt notabimus. Cuius gratia, & eorum, quæ dicenda sunt distinctio quadam bonitatis, aut boni præmittenda est. Tribus igitur modis aliquid dicitur bonum, primo, in seipso, quatenus in se bonum est, & non alteri. Secundo dicitur bonum, quod alteri bonum est, cuius ratio in relatione congruentiæ, & convenientiæ cum alio posita videtur. Hoc vero genus boni adhuc duobus modis contingere potest. Aut enim est in naturalibus, sicut calor in debita proportionem, & sanitas respectu animalis: Aut est in moralibus, & sic actio moralis, quæ dicitur esse secundum rectam rationem, aut conveniens naturæ rationali, ut rationalis est, illi bona est. Contra vero tribus etiam modis malum esse contingit, primo, quod opponitur bono absolute, & in se. Secundo, quod alteri minus conveniens est, aut contrarium, & hoc dupliciter, aut in naturalibus, aut etiam in moralibus: nam calor dicitur malus aquæ, & peccatum naturæ rationali, ut rationalis est.

Hoc iacto fundamento nostra in hac re sententia in duobus consistit. Alterum est de bono relatione,

Impugnatur secunda sententia.

Bonitatem consistere in relatione ad appetitum Capreoli sentit.

Impugnatur Caiet.

8

Boni triplex acceptio.

9

August.

Tertio impugnatur alia pars eiusdem sententiæ.

Bona res-
pectu in
relatione
conuenientie
congrui.

Dispositio di-
ci potest ali-
quid bonum
respectum.

Aliquorum
partium quatuor
tam probat.

10

Deum quo ge-
nere bonitas
creaturis
bono sit.

Nota.

Deum secun-
dum se malum
esse non potest
creaturis.

II

re & ad aliud; alterum est de bono absolute, & in se: priorem partem in hoc cap. explicabimus. posteriori vero in sequenti. Bonum igitur relationis, & quod est alteri bonum in relatione conuenientie positum est, & in hoc verum existimo sententiam Durandi. An vero semper relatio illa sit rationis, vel realis, parum interest. In moralibus autem, tam bonitatem, quam malitiam in vniuersum esse relationem rationis, probabo, 1.2.q.71.

Inter illa vero, quæ dicuntur bona hoc modo, quædam primarie bona sunt, quia ratione sui alteri conueniunt, vt sunt formæ accidentariæ subiecto inherentes: quædam vero dicuntur secundarie bonæ ab effectu, quia aliquid bonum in subiecto efficiunt; quo pacto vna substantia alteri dicitur bona.

Obseruandum tamen est, bonitatem hoc modo non esse passionem entis, vt cap.2. contra Durandum probatum est. Probant autem nonnulli hanc relationem conuenientie, quam diximus esse bonitatem, realem non esse, quia relatio illa vel esset bona alia bonitate, vel non: Si non esset bona alia bonitate, sequeretur ens, & bonum non recipiari, quod est absurdum: Si vero esset bona alia bonitate, fieret processus in infinitum, nisi diceremus bonitatem, quæ prior illa relatio, & bonitas bona est, esse relationem rationis, priorem vero esse realem: Ex quo fieret, vt bonitas, quæ conuertitur cum ente, non esset relatio realis in vniuersum. Verum hæc ratio, licet conuinceret, bonitatem, quæ sequitur rationem entis, & cum eo conuertitur, non esse realem relationem conuenientie; non tamen probat, non esse aliquam bonitatem, quæ in sola relatione reali conuenientie posita sit. An vero omnino probet, bonitatem non esse relationem realem, capite sequenti videbimus.

Hoc genere bonitatis Deus summe bonus est creaturis: relatio tamen conuenientie, quæ in ipso est, non est realis, sed rationis, sicut de relatione omnipotentie dicemus inferius disp. 104. c.6. & de alijs, quibus Deus ad creaturas refertur: nihilominus ratio bonitatis hoc modo primarie Deo conuenit, non secundarie; hoc est, non ideo bonus est creaturis, quia in illis aliquid bonum operatur, (quamquam & hoc etiam verum est) sed quia ipsis ratione sui proxime conueniens est. Primum quidem omnibus rebus in vniuersum: etiam brutis, & inanimis: quia ipsorum totum esse producit, & conseruat, quod quidem ipsis rebus non est hoc modo bonum, cum ab ipsis non distingatur villo modo. Deinde creaturis rationalibus præcipue bonus est, cognitus, & apprehensus. Sic enim & est id, de quo delectamur, & quod desideramus: desiderium autem, & delectatio sunt de bono conuenienti.

Porro Deum esse proximum obiectum desiderij, & delectationis, probabimus contra Durand. 1.2.q.4.a.1. De malitia vero bonitati hoc modo opposita, alio modo dicendum est, neque enim Deus secundum se malus nobis esse potest, sed tantum ab effectu, quia in nobis efficere potest aliquid dissonum naturæ: quæ de causa in eo etiam ar. dicemus, Deum esse quidem obiectum delectationis, & desiderij, non autem doloris, & timoris. Cæterum de hoc genere bonitatis, quo aliquid dicitur alteri conueniens, non disputat S. Thomas in hac q. neque institutum illius in sequenti q. est, probare Deum hoc modo bonum esse.

Vsq. in 1. partem Tomus I.

Deinde dicendum erat de bonitate morali, quæ in relatione conuenientie cum natura rationali consistit: de hac tamen commodius disputabitur, 1.2.q.19. & 20. Quæ varo ratione Deus sit bonus hoc genere bonitatis, facile nunc explicari potest. Est igitur bonus, siue eius bonitas spectetur in operationibus intra ipsum, siue in operationibus extra; nullius enim culpæ, aut peccati auctor est: bonitas tamen illius est alterius rationis quam hominis, aut Angeli: neque enim est causa meriti, sicut est in homine, aut in Angelo. De hoc tamen genere bonitatis non agit S. Thomas in hac questione, neque in sequenti: neque bonitas hoc modo à S. Thoma, aliove doctore inter Dei attributa numeratur. Attributa enim non secundum rationem genericam, sed secundum rationem specificam assignanda sunt: ratio autem bonitatis moralis generica est, quæ in pluribus virtutibus reperitur, ex quibus aliquas Deo tribuimus, vt veracitatem, fidelitatem, iustitiam, misericordiam &c. attributum igitur bonitatis, de quo S. Thomas, & alij Scholastici disputant, est, quod responderet passio-
i entis, quam philosophi bonitatem entitativam appellant, de qua sequenti e. differendum est.

Videri posset alicui, præter bonitatem, quæ responderet passioni entis, debere Deo assignari bonitatem quandam sanctitatis distinctam ab ea, quæ est in singulis virtutum operibus, quæ etiam paruuli baptizati sancti sunt. Respondeo in nobis, & Angelis præter bonitatem, quam vocant entitativam, & præter moralem, quæ est in singulis virtutum operibus, esse bonitatem sanctitatis, quæ consistit in eo, vt iuste Deo adæquemur: sed necesse non esse, Deo tribuere aliquam bonitatem sanctitatis, præter bonitatem suam entitativam, & moralem in singulis operibus omnino perfectam sine crimine, quia non habet, cui ipse adæquare debeat, vt iustus & sanctus sit: sed hoc ipso est regula omnis sanctitatis.

CAPVT V.

Posterior pars verioris sententiæ.

Reliquum est, vt de bono, quod conuertitur cum ente, & de malo opposito dicamus. Ratio igitur formalis bonitatis, quæ conuertitur cum ente, mea quidem sententia, est integritas, & perfectio rei in suo esse. Quare idem est bonum hoc genere bonitatis, atque integrum, seu perfectum, quo vero pacto reciprocetur cum ente, statim dicemus.

Hanc sententiam disertis verbis tradit S. Thomas in hac quæst. nam in 1. art. inquit bonum esse, quod omnia appetunt: vnumquodque vero appetitur, secundum quod est perfectum, & in solut. r. inquit: Sed bonum dicitur rationem perfecti. Et paucis interiectis: Vnde quod est vltimo perfectum, dicitur bonum simpliciter, quod autem non habet vltimam perfectionem, quam debet habere, quamuis habeas aliquam perfectionem, in quantum est actus, non dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid. Quare cum in 1. a. in fine subiungit: Bonum dicitur rationem appetibilem, non intelligit denominationem relationis à potentia appetente, nec relationem conuenientie, sed rationem perfecti, in qua fundatur præcipue, & ex qua prouenit, vt res aliqua appetatur. In artic. 3. & 5. idem omnino docet,

Bonitas mor-
nalis qualis.

Cur hæc boni-
tatis Dei as-
tributum
non sit.

12

Bonitas 1. a.
scendentalis
in quo consi-
stet.

S. Thomas.

Bonum &
perfectum
idem.

23

K 2

&